

315v.

1731, 37

13

DISPV TATIO I NAVGVRALIS
DE
IVRAMENTO
VNIVERSITATIS
QVAM
ILLVSTR. ICTORVM ORDINIS
CONSENSV
PRAE SIDE
DN.D.IO.FLORENTE RIVINO

P. P.
CANON. N VMBVRG. ET FACVLT. IVRID.
LIPS. ASSESS.

PRO
DOCTORIS GRADV
PVBLICE DEFENDET
CHRITSIAN. BENIAM. SCHLEGEL
DRESDENS.
ADVOCAT. IMMATR.

DIE XXV. IAN. AN. MDCCXXXI.

LIPSIAE
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL.

170
LIBRARIUS
UNIVERSITATIS
DANIELI HORNII RUMO
DOCTORIS GRADA
CHRISTIANI HENRICI SCHICKELI



§. I.

Iusurandum regulariter personaliter,
quod Iure veteri Germanico et Sa-
xonico **MANV PROPRIA** di-
cebant, praestandum IOH. SCHIL-
TER. Exerc. ad ff. XXIII. §. 28.
in fin. nec procurator qui in alte-
rius animam iurat admitti solet,
imo **IVSTVS OLDECOP**
in peculiari Dissertatione de Iure-
iur. in alterius animam iusurandum per procuratorem
praefitum, Iure Divino absurdum, et irreligiosum, Iure
Gentium inauditum, Iure Ciuii ac Saxonico prohibitum,
Iure Canonico non approbatum, simulque Reipublicae per-
niciosum pronunciare non erubuit, cui se opposuit **GER-**
HARD FELTMANNVS singulari Tract. de ead. ma-
ter. jung. **ANT. MATTHAEI** de Iudic. c. X. th.
43. **Gundlingiana p. IV. c. 3. et Dn. PRAESIDIS** Dis-
sert. de Iureiur. in alter. animam, qui intermedia via inces-
fit, et neque indistincte ac promiscue procuratorem admittendum,
neque neglectis omnibus, quae negotium comi-
tari possint circumstantiis, mandatarium plane repellendum

DE IVRAMENTO

dum esse iudicauit, variaque exempla eorum, qui etiam in foro Saxonico ad religiosam assertionem in alterius animam admittuntur in medium produxit.

§. II.

Eminet inter haec imprimis Iuramentum quod Collegio seu Vniuersitati vel a parte aduersa in iudicio de- aut refertur, vel quandoque a iudice imponitur, nam et Vniuersitas probat propriam scientiam et ignorantiam per Iuramentum *Seraphin. de Seraphinis de Priuil. Iuram. priu. IV. n. 14.* Eth enim Vniueritas per se nomen iuri- ris, neque animam nec intellectum habere censetur, qua- tenus tamen constat hominibus, anima et ratione praeditis, qui consensu et consilio carere non possunt, iisque vniuer- sitatem repraesentant, Iurisprudentia nostra non secus ut fictum corpus, ita et animam multitudine animata col- lectam et constitutam ei tribuit, cuius respectu personae vicem obtinet DAV. MEV. *Ius Lubec. p. II. Tit. 3. art. 4. n. 3.* At circa modum praestandi et a quonam iuramen- ta nomine vniuersitatis praestari debeant saepius in foro agitantur quaestiones, et non vna eademque Doctorum hac in parte est sententia.

§. III.

Syndicum nonnulli admittunt, commoti imprimis *L. 1. §. 1. ff. quod cuius Vniu. nom. quae disponit, quod iis quibus permisum corpus habere collegii, societatis, pro- prium fit habere Syndicum per quem quod communiter agi, fierique oporteat, agatur fiatque, praesertim cum hic de negotiis Vniuersitatis optime informatus credatur; quod alii eosque extendunt, ut ipsum etiam absque spe- ciali mandato admittant MATTH. WESENBECK. et adh. HENR. HAHN. ad Tit. ff. quod cuius vniu. nom. n. IIX. MATTH. BERLICH. p. I. concl. 31. n. 23. DAV.*

VNIVERSITATIS.

5

DAV. MEV. P. VIII. *Decis. 386.* KOENIG *in proc. cap 19. n. 3.* MARTINI *ad O.P.S. Tit. XIIIX. §. 4 n. 28.* Sed cum Syndicus fungatur saltem partibus procuratoris *L. 6. §. 3. ff. b. t.* hic vero contradicente et iuncto aduersario ad iuramentum non admittatur; insuper in iuramenti delatione transactio quaedam subsit *L. 2. et L. 34. §. 6. ff. d.* *Iureiur.* quae stricte intelligenda, neque de persona ad aliam extendi debet, Syndicu quo tales, etiam de iure communi, nisi consentiente aduersa parte, admittere nolle. Dn. DE WERNHER. *part. IX. Obs. 226.* Et in iis Legibus in quibus de Procuratoris iuramento agitur, veluti in *L. 9. §. 6. L. 23. ff. de Iurei.* semper praesupponitur ius iurandum procuratori specialiter delatum, praesertim si syndicus, vti in foro saepè numero contingere solet, non sit membrum Vniuersitatis, sed patrocinium saltem praester, qui in aliis negotiis Vniuersitatem concernentibus, praeter causam commissam parum notitiae habent.

§ IV

In Foro Electorali Saxonico, per *Constit. XIII. p. 1.* Syndicus plane exclusus videtur per verba: Und soll da zu kein Syndicus gelassen werden, quod de Syndico quatali accipendum, quodsi enim Syndicus insimul membrum Collegii et rerum nomine Vniuersitatis gestarum, praesertim obiecti litis sit gnarus, nil prohibet quo minus eum aliis membris, non tamen qua Syndicus, circa prae stationem iuramenti concurrere queat Dn. DE WERNHER *p. VII. obs. 49.* RIVINVS *ad O.P.S. Tit. XIIIX. En. 131.* Quid quod in *Emend. Ord. Proc. Sax. ad Tit. XIIIX. §. 5.* aduersario permisum Syndicum aut Poligraphum Ciuitatis, licet vel maxime non sit membrum collegii, nominare. Sed si fortasse hic iuramentum renueret, quod cogendus

A 3

et

et iniuitus compellendus, aut ex ipsius denegatione da-
mnum vniuersitati metuendum sit, non autumo.

§. V.

Maiorem collegii partem ad iurandi necessitatem nonnulli adstringunt D YON. GODOFR. ad L. 47. ff. d. Cond. et Demonstr. lit. I. cum ex effato Vlpiani ad vniuersos referatur, quod publice fit per maiorem partem L. 160. §. 1. ff. d. R. I. quod duea partes faciunt hoc omnes facere videantur L. 3. ff. qu. cui. vniu. nom. et quod maior pars curiae efficit, pro eo habeatur ac si omnes egerint. L. 19. ff. ad municip. j. L. 148. ff. d. R. I. Hinc Paulus in L. 97. ff. de Condit. et Demonstr. conditionem legati Municipibus sub hac conditione reliqui, si iurassent, non pro impossibili habet, cum ei pareri possit, si per eos iuretur, per quos municipii res geruntur i. L. 14. ff. ad municip. Sed alia res est eorum, quae a consensu collegii et pluralitate votorum pendent, vti exempli causa est constitutio Syndici, et alia eorum, quae nomine collegii de cunctis consen- su iam satis constat, expedienda; hinc si omnia membra de praestando iuramento communi consensu conspirant et vniuersitas est ampla, constans ex centum pluribusue membris, iniquum profecto foret tantam multiplicatio- nem sacramentorum desiderare, nec enim transire possumus in partes OLDEKOPPI d. Tr. n. 347. existimantis, se nullam videre rationem obstantem, quare non omnia collegii membra, si eandem et certam scientiam habeant de negotio controverso iurent, qui et refert se obseruasse quod omnes ac singuli de Collegio 24. personis consistente in propria persona coniunctum iurauerint. Sed quid opus tantis ambagibus cumulatisque iuramentis, cum faciliori via idem obtineri queat. conf. Dn. DE BER- GER.

VNIVERSITATIS.

7

GER Oecon. Iur. Priuat. Lib. IV. Tit. XXV. §. 1. n. 3. qui
a sententia Oldekoppii non plane alienus videtur.

§. VI.

Igitur seniores et Praesides Collegii, quibus eius cura, et administratio rerum communium concredita, praeferendi erunt? Conuenire id videtur cum L. 14. ff. de *Municip. et L. 97. ff. de Condit. et Demonstr.* quae posterior Lex quamvis loquatur de municipibus, vulgo tamen ad alias Vniverstitates itemque collegia profertur. Dn. de: BERGER d.l.n^o 3, conf. Dn. LEYSER. *Medit. ad ff. spec. CXLIII.* Illi enim constituti sunt ad curandum et agendum negotia communia, et res collegii prae reliquis exactius scire presumuntur MEV. part. VII. Decis. 388. Verum enim vero in solo senio nulla querenda praecedentia. Evidem, in d. *Const. El. XIII.* seniorum deinceps expresse fit mentio, sed subsequentia verba, eorundem qualitatem, ut nempe optimam rei notitiam habeant, explicant, hac enim deficiente, reliquos non exclusos sed potius vocatos esse voluit Sacratissimus Legislator, hinc per particulam copulatiuam *Et* coniunctim senium et notitiam optimam desideravit, qui seniores ex communi praesumitione salua contrarii veritate memorantur CARPZ. ad b. C. def. II.

§. VII.

Sed an fortasse libero Vniverstatis arbitrio relinquendum erit, quos ad actum iurandi eligere et sistere velit? est haec sententia MEVII p. III. Decis. 54. et CARPZOV. ad d. c. def. 3. cum probabile quod Vniverstas optime gnara sit personarum, quae iuramentum salua conscientia praestare possint. Sed res plena aleae et periculi, posset enim Vniverstas e gremio suo eligere homines vel leues et ad iuramenti praestationem pronos, vel negotii, de quo lis vertitur, plane ignaros, hocque pacto sibi causae victoriari promit-

mittere, nam quotiescumque Vniuersitati vel defertur vel refertur iuramentum, sub hac conditione factum censetur, quod ab iis qui optimam rei notitiam habent praestari debet, audienda igitur pars aduersa, cuius res potissimum agitur, exceptionibus suis contra qualitates personarum
Dn. RIVIN. ad O. P. tit. XIIIX. En. 132.

§. IIX.

Tutius propemodum videtur parti aduersae eligendi facultatem committere, haec enim procul dubio sollicite inquiret in vitam moresque eorum cuius conscientiae relinquere velit iuramentum; idque eo magis locum inuenire videtur, quia per iuramenti delationem transactio quedam cum tota vniuersitate inita censetur, ut omnes quasi ad praestationem obligati credantur, adeoque eo minus conquerendi habent facultatem si nonnullos faltem in quos fiduciam collocauit, euocet ad iuramenti praestationem. Sed quanquam aduersarium plane excludere vercor, attamen rem eiusdem libero arbitrio in torum relinquere dubius haereo; finge enim aduersarium per collusionem vel alio modo sibi deuinctos reddidisse nonnullorum animos, ut certus sit hos esse iuramenti praestationem denegaturos; aut finge, nonnullos ex ordine ad superstitionem usque esse religiosos, ut ne quidem de veritate et existentia facti conuicti iurarent, sane his nominatis, per fraudes illicitas que artes, quae Vniuersitatem latent, victoriam totius causae reportaret.

§. IX.

Sed regulam et certi quid statuere non audemus, potius obueniente casu circumstantias factum concomitantes considerandas, adeoque nec syndicum nec seniores, nec ab vniuersitate, vti nec viceuersa ab aduersario nominatas

VNIVERSITATIS.

9

natas personas, sed eos licet iuniores sint, vel nouissime in collegium adsciti, qui optima rerum iuramento confirmandarum notoria gaudent, et quidem si partes non conueniunt ex arbitrio iudicis vel potius ex sententia prudentum, quae iuxta L. fin. C. d. Iudic. legitimam formam causae litigiosae imponat, admittendos: in vniuersum eos qui iuramentum de veritate praestare valent, reliquis, neglecto respectu personarum semper preferendos, hacque in parte vniuersitatis partes in eligendis membris potiores esse existimamus, nam per hanc religiosam assertionem lis finienda et certiorandus iudex, quod felici successu, per eos qui veritatem facti intelligent suscipitur DAN. MOLLER ad d. C. XIII. et CARPZ. Proc. Tit. XI. art. 2. n. 62. Egregie conueniunt cum nostra sententia quae in Ord. Proc. Ducat Altenburg. p. I. C. IX. §. 8. disposita verb. Wenn ganze Gemeinden oder Communen einen deferirten, referirten oder andern End schweren sollen, mögen sie solchen durch 3. oder vier Aeltesten, so die beste Wissenschaft von der Sache haben, oder nach Gelegenheit durch andere Personen, so zwar nicht die Aeltesten, denen aber doch die Sache am besten wissend und bekannt, wenn solche die Gemeinde aus ihren Mittel vorschlagen wird, leisten und darzu kein Syndicus als Syndicus gelassen werden.

§. X.

In foro Saxonico nomine communitatis vel collegii tres vel quatuor ex senioribus, et qui negotium de quo iurandum optime cognitum habent, iuramentum praeflant Conf. XIII. p. I. quorum quidem nominatio et electio adversae parti pure reservata in Em. Ord. Procef. Sax. ad Tit. XIIIX. §. 5. Ratio autem eur plures adeoque tres

B

qua-



quatuorue iurare teneantur, & quae vulgo reddi soleat,
 quod non modo causa plures respiciat, sed etiam apud
 plures exactior praefsumatur notitia, quam penes vnum
CARPZ. Proc. Tit. XI. art. 2. n. 54. vix sufficere vide-
 tur, ex duorum enim ore prouenire etiam potest veritas,
 immo pluralis numerus duobus contentus, et quid obstat
 asserere, quod ratio lateat in L. 85. ff. d. V. S. in qua tres
 facere collegium et efficere vniuersitatem tanquam per-
 sonam mysticam asseritur, **BERLICH** p. I. Concl. 34.
 n. 23. Ab hoc numero trinario non recedendum esse
 existimo, licet exiguis membrorum in Vniuersitate sit nu-
 merus, et fortasse ex tribus quatuorue membris constet,
 aut notitia causae et obiecti litis paucioribus e. c. duobus
 ex collegio communis, nam d. l. numerum definit reg-
 ularumque tradit nulla adiecta limitatione, adeoque pau-
 ciiores excludit, dissent. **Nob. Da. DE BERGER** oe-
 con. Iur. priu. L. IV. Tit. 25. §. 1. n. 3. et B. MENCKEN
Dijsp. ad proc. IX. Tit. XIX. §. 28. n. 11. nisi fortasse colle-
 gium e duobus aut in unico membro vti in includ. Fac.
 Theologic. contigisse recordamur, constat, tunc luben-
 tissime concedimus otiosam eo casu fore quaestionem.

§. XI.

Non tamen existimandum ac si vniuersitas indiuidua
 illa, quae aduersarius nominauit, praecise ad iurandum si-
 flere teneatur ipsique gloria saltem obsequui relicta videa-
 tur: Neuriquam, sed termini habiles presupponendi, quod-
 si enim iustas legitimasque causas excusationis allegare
 posse e. c. quod familiares, adfines, consanguineos suos
 ex ordine, vel eiusmodi personas contra quas graues col-
 lusionis suspiciones emergunt, nominauerit, has, licet
 ad iurandum prompti et parati se exhibeant, merito repel-
 let vniuersitas, ne hi vacillantes et iuramenti praestatio-
 nem

VNIVERSITATIS

II

nem detrectantes vniuersitati praeiudicium inferant. Idem iudicium esto de iis, qui negotiorum de quo lis agitur ignorant et de credulitate iurare valent, cum alii ad sint qui exactiorem habent scientiam, vel si nouissimo tempore in collegium recepti conf. CARPZOV. proc. Tit. XI. art. 20. n. 70. sq. Dn. LEYSER Medit. ad ff. CXLIII. Med. VI. Hinc ex parte Vniuersitatis fortasse non incongruum erit, vt cum licentia eligendi aduersario remissa, ipsa simulacra sententia, in qua iuramentum iactum, vires rei iudicatae consecuta, huic statim per iudicem iniungi cureret necessitatem nominandi quatuor pluresque, e quibus post tres eligere, eosque in termino iurandi sistere queat.

§. XII.

Caeterum, si non toti collegio seu Vniuersitati, sed quibusdam ex proprio ipsorum facto iuramentum deferatur, illi ipsi iurabunt, factum autem totius collegii conscientiae crrorum indiuindorum committi nequit, alias iuramenti delatio, cum non conueniat cum libello, pro inadmissibili haberur, quoties enim lis cum vniuersitate, priuatorum facta non miscenda, potius hi separata actione conueniri debuissent, nisi fortasse membra illa Vniuersitatis ex facto proprio iungantur libello, et reorum vices sustineant B. MENCK. d. Diff. §. 28. n. 3. Expresso hac de re disponit d. Conf. XIII. In promptu tamen cautela ex parte deferten-
tis, vt nempe ab initio generaliter utatur iuramenti delatio-
ne, post interlocutoria lata, membra illa aduersus quae sin-
gularem illam iuramenti delationem adhibere cupiebat, ad
praeflationem nominet, hoc enim pacto per indirectum
consequetur id, quod directo non licet.

§. XIII.

Quae de Vniuersitatibus dicta non ad quamlibet so-
ciatem aut corpus licet ex pluribus personis constet, ap-

B 2

plican-

plicanda, nam Vniuersitas esse non potest, nisi a summo principe confirmetur *L. 1. pr. ff. qv. cuj. vniu.* *L. 1. §. 1 et L. 3. §. 1. ff. d. Coll. & Corpor.* reliqui qui communis utilitatis causa coeunt, socii saltem et consores appellantur, et hi cum causa sit singulorum, et in effectu tot actiones in iudicium deductae, et tot rei quot personae, procuratorem, non syndicum constituunt; singuli, non nomine collectivo, sed separatum citandi, adeoque iusurandum quod quibusque in societate viuentibus decantur, a singulis individuis praefandum *Dn. MENCK. d. Disp. §. 28. Dn. LEYSER. spec. L. IV. Med. 3.* quod eodem modo de illis qui Cossathen, Hüsner, Gärtner, Anspanner, appellantur, asserendum, licet enim partem communitatis efficiant, et ex pluribus personis consistant, imo in prima confirmatione comprehendantur, tamen cum in constituendo corpore princeps totum corpus, non eius partem respexerit, haec toto equipari non poterit, quae causa cur in iure vniuersitas ipsa et membra de vniuersitate sibi perpetuo opponantur *L. 1. §. 15. ff. ad Sct. Trebell.* et quod debetur vniuersitatibus, singulis non debetur, vti e contra id quod debet Vniuersitas singuli non debent *L. 2. et L. 7. §. 1. et 2. ff. qv. cuj. vniu.* Quaestio illa inter casus dubios Augusto nostro Augustissimo a supremo prouocationum iudicio anno 1696. oblatâ *qv. XXXII. Conf. Dn. RIVIN. ad O. P. Tit. XIIIX. En. 133.*

§. XIV.

Speciale quid Iure nouissimo Electorali Saxonico introductum, nempe iux. *Emend. Ord. Proc. ad Tit. XIIIX. §. 5.* ad cuitandam multiplicationem iuramentorum personae nominatae, Hüsner, Anspanner, Gärtner, Häusler, Handsföhner aliique qui Vniuersitatem non constituunt, eodem modo ut Vniuersitates per tres quatuorue qui optimam

mam rei notitiam habent, et qui ab adversario eligendi, nominandique sunt, ad praestationem iuramenti, admitti, reliqui vero immunes pronuntiari debent, et si fortasse diueris in locis habitent, arbitrio aduersae partis relustum, an ex quolibet loco duos vel tres nominare velit.

§. XV.

Facta tamen probe secernenda, nam propria de veritate, aliena de credulitate afferuntur, hinc quoties ad sunt in Vniuersitate qui veritatem facti iuramento confirmare valent, hi semper praeferendi reliquis qui saltem de credulitate iurare possunt, nullo obiecti discrimine, super facto affirmatio an negatio iurandum sit, quoties vero facta aliena imprimis antiqua antecessorum et maiorum mediante iuramento e. c suppletorio probanda, ut in materia praescriptionum saepissime in foro contingere videmus, toties formula iuramenti de credulitate saltem informanda. Si vero causa seu obiectum litis tangat vniuersos ex collegio, non sufficere, imprimis Iure Saxonico afferit Dn. de BERGER. n. 3. utriusque nomine iurari per tres quatuorue, cum de veritate in factis propriis, tum de credulitate super confortio, arque adeo alienis factis; additis rationibus, quod alia causa sit vniuersorum alia singulorum, et quod omnes tangit ab omnibus approbari debeat, ergo & a contrario sensu iureiurando proprio declinari, quod singulorum factum est.

§. XVI.

Credulitatis Iuramentum vel in sensu affirmante vel negante per vocabulum credo vel non credo enuntiatur, utrumque excludit scientiam et eiusmodi rationes quae assensum, tanquam ex demonstratione elicium, simpliciter queant stabilire, contra vero nudis sustinetur coniecturis, quarum vii aliae fortiores, aliae debiliores, ita ius iurandum ipsum credulitatis modo affirmatiue, mo-

do negatiue concipiendum, differentia vtriusque conficit in gradu, vt enim quis iurare possit de credulitate affirmativa, necesse est, vt iustae et graues rationes succurrant iudicandi rem esse veram, quae raro fallant in tali materia, nec admittant prudentem formidinem, vt ita esse secundum rationabile iudicium pro certo ac sine dubitatione practica putet, existimet, atque credar, considerata scilicet veritate conscientiae et intentionis e. c. si membrum Vniuersitatis a defunctis senioribus et antecessoribus audierit hoc vel illud factum esse vel non.

§. XVII.

Ignorantiae iuramentum maxime differt a credulitatis iuramento, scire plus est, quam credere, aut non credere, vtrumque plus quam nescire, prius ab eo etiam praestari potest, qui factum positive neque credit, neque disredit, et falsitatem rei non quidem asserit, sed tamen rei veritatem eius certe sibi persuadet, ac bona conscientia ab eo qui dubius haeret in animo, et in iuramento partem inclinat, praestari potest, et tamen in foro indifferenter coniungitur sequenti modo, Ich schwöre,
daß ich nicht wisse, auch nicht glaube noch davor halte,
quem inueteratum morem Collegiorum Iuridicorum redarguit Nob. Dn. de BERGER Discept. forens. ad Tit. XII X. ob. VI. n. 7. hinc non admittendus erit in causa Vniuersitatis is, qui ad iuramentum ignorantiae paratum se ficit.

§. XVIII.

Quisquis vero nomine Vniuersitatis affirmatio modo super credulitate iurare cupit, is sollicite magna prudentia et diligentia, et vt Imp. ANTONINVS in L. 2. C. de in lit. jur. desiderat, argumentis liquidis inuestigabit circumstantias, rationesque quae pro et contra, vt de existentia facti se propemodum conuictum sentiat, certitudine

dine quadam animum ad conformitatem applicet, nam animus afferendi qui in iure iurando requiritur, continere debet consensum et assensum tanquam principium sententiarum quae ex mente nostra profluunt, credatque alios prudentes pari animo ad eandem sentiendi facultatem commoueri posse, alioquin periculo amittendae salutis se subiicit si per leues longiusque collectas conjecturas nudasque praesumtiones tranquillitatem animi conciliare studet; res alienas non sine labore et difficultate inquirimus, easque opinione assequimur, caueat igitur ne lingua praecurrat mentem, imprimis conscientia dubia nihil faciat, si enim dubitat et tamen iurato affirmat, verum est periurium, quia sciens fallit pro certo affirmando, quod scit certum non esse. Interim vocabula *credo* et *existimo* pro synonymis accipio cum unum eundemque sensum habeant, adeoque in formula iuramenti necessario coniungi non deberent, quamuis usu fori maior vis inesse credatur, si quis iuret: *Ich glaube und halte gewiss davor Nob. Dn. de BERGER. d. obs. VI. n. 2. seq.*

§. XIX.

Cogendum tamen neminem esse censeo ad praestationem iuramenti, quodsi enim quis animum ad assensum facti, quod iuramento afferendum, inducere nequeat, aut fortasse ad superstitionem vsque religiosus sit, qui ne quidem in propria causa iuraret, iniquum profecto foret eundem compellere ad actum iuratorum in causa extranea, eidemque parendi necessitatem ad turbandum tranquillitatem animi iniungere. Ardua sane res est de factis ignotis et alienis certi quid statuere, sibique veritatem istorum et existentiam probabili quadam convictione persuadere. Alter res se haberet, si per nonnulla membra collegii negotium aliquod gestum, haec vero lite postmodum mota denegarent iuramenti praestationem super factis propriis, tunc enim

enim non video qua ratione se subducere possint restitutioni
damni quod istorum culpa Vniuersitati infertur, potius ea-
dem ad illud resarcendum et omne interesse praestandum
deuincta esse crederem, imo illa in conscientia ad iuramenti
praestationem obligata censeo, siquidem in actu receptio-
nis sese mediante iuramento obstrinxerunt ad promouen-
dam utilitatem et commodum collegii sui, cuius parum
profecto memores forent, et dolo non carerent, si antea
ab ipsis gesta in dubium quasi vocarent, mendaciique reos
sese efficerent.

§. XX.

Sed quid si alii ex Vniuersitate nominati vel iurare
nolint vel non possint, an ideo statim vniuersitas vietas
manus aduersario suo dare necesse habebit, ita vt licet vel
maxime aliorum copia, imo maior numerus vniuersitatis
ad sit, qui ad iuramenti iniuncti praestationem illaesa conscientia
se offerat, si plane exclusus censeri debeat? indefinite et
generaliter id afferere nimis durum viderur, nam si non nulli
negotia collegii peragere cessant et negligunt, facultas a-
gendi reliquis ob interesse proprium vel etiam collegii
merito permittenda, et vt causam communem prout religio
suggerit defendant indulgendum, nec seniorum et
nonnullorum recusatio aut formido, aut quaecunque alia
causa corpori nocua et praeiudicio esse debet, similiter
ut negligentia administratorum vel procuratorum locum
facit diligentiae dominorum et sunt instar consortium cau-
sae, quorum unus cessante licet altero causam antea com-
munem pro suo interesse peragit. *L. I. C. de Consort.*
eiusd. lit. sicut quod reliqui de iure suo remittunt vel ce-
dunt id aliis non nocet, nec in potestate seniorum qui
nudi administratores negotiorum collegialium, multo mi-
nus vnius alteriusue membrri, litem collegii, deserendo iu-
ramentum, abdicare hinc Impp. Valeriani et Gallien.

trans-

transactionem a ciuitatis administratore ambitiose s. gratio-
se in perniciem Reipublicae factam, nullius esse momenti
voluerunt L. 12. C. d. Transact. Mev. p. VII. def. 388. sane
tres illi praesertim ab adversario nominati pro priatis
habendi, qui Vniuersitati praeiudicium inferre non debe-
bant, at cum in huius favorem introductum videatur, quod
pauciores admittantur, non debet in ipsorum odium de-
torqueri, potius ipsi beneficio restitutionis in integrum
succurrendum. Pessima sane quandoque fieri posset sub-
ditorum conditio, si tres quartiorue a domino iurisdictionis
consulto nominati, vel terrore panico erga dominum
correpti, vel spe lucri, maioris favorisque delecti ea quae
iuramento confirmanda, concederent, seque iurare non
posse simularent, hocque facto aduersatio victoriam cau-
sa tradere, Vniuersitati vero damnum irreparabile ex ar-
bitrio suo offerre possent. Hinc si fortasse quæstio de
iure pascendi in locis publicis auf der gemeinen Wege
de, quod singulis ex vniuersitate non iure seruitutis sed
vniuerstatis competit, quemlibet casu eueniente iure pro-
prio continuare item et admissionem ad iuramenti præ-
stationem urgere posse, non inique dixeris conf. ANT.
FABER Cod. Lib. IV. Tit. 1. Def. 10.

§. XXI.

Sed quid dicemus si negotium litigiosum saltem a
duobus ex vniuersitate deputatis celebratum, conjectum-
que fuit, duo illi, qui praesentes fuerunt, persistunt in af-
firmativa et parati sunt ad præstationem iuramenti et qui-
dem de veritate, aduersarius eos recusat, potius tres alias
nominat; At qui iuramentum detrectat eum non au-
diendum, potius his duobus contentum esse debere affero,
tertii enim assertio quae saltem de credulitate informatur,
superflua, imo vt vera profitear, profanatio nominis diuini
esse videtur. Ut vt vero haec sententia aequitate sum-

ma se commendet, tamen stricto iure et urgente aduersa parte Constitut. Elect. exesse satisfactum non opinor, et enim in hac, norma et regula generalis ratione numeri praescripta, qua non obseruata, actus perfectus dici non meretur. Quo loco non possumus non collegiis, corporibusque cautelam commendare, ut nempe in negotiis gerendis et expediendis tres quatuorue adhibeant, qui post hanc mota et negotio iuramenti praestatione finiendo illud praeflare valeant, hi enim, quidquid dicat in contrarium aduersarius, admittendi, et collegium a variis difficultatum ambagibus se liberatum sentiat.

§. XXII.

In foro periculosa res est si nominata 3. membra iuramenti praestationem detrectant, et quod iuramentum iniunctum praestare nequeant, confitentur, tunc enim aduersarius victoriam canit, licet fortasse iusta Vniuersitas patiatur. Nouissime casus Inclut. Fac. Iurid. Lips. oblatus a R. W. in cauf. A. T. c. senatum W. iniunctum fuerat posteriori per sententiam iuramentum a tribus quatuorue praestandum, actor consulem cum camcrario et duobus in membris e senatu nominauerat, in termino comparebant, dubium oriebatur de formula iuramenti, et cum apparet syndicum optimam rei habere scientiam, sequebatur interlocutoria vt Syndicus de veritate, reliqui de credulitate silem iurare deberent, in termino praefixo citati comparebant, consul et unus ex reliquis actu corporali praestabant iuramentum praescriptum, terius saltem per nescit iurare cupiebat, et quartus ingenue profitebatur se de credulitate iurare non posse: Dn. Wittebergenses hac de re consulti dimittebant quartum et dicebant sententiam de publicato d. 17. Dec. 1728. huius tenoris. Die weil D. G. L. und V. I. den zuerkannten Eyd wuerlich abgeschworen, so hat es noch zur Zeit dabey sein

Be-

VNIVERSITATIS.

19

Bewenden; Es ist aber auch I.G. I. das Iuramentum credulitatis, seines Vorwends ohngeacht, dem fol. 158. rechteskräftigen Urtheil zu Folge zu schweren schuldig, dahingen I. H. gestalten Sachen nach, und in Ansehung daß es allenfalls gnug, wenn der erkannete Eyd auch nur von dreyen aus des Rathys Mitteln abgeleget wird, mit sothanen Eyde billig zu verschonen, quae sententia non obstante leuteratione a Dn. Seab. Liphens. M. Decembr. 1729. confirmata. Citatus I. G. I. emanebat in termino iuratorio accusatur ab auctore ipsius contumacia qui petitum ad desertionem iuramenti dirigebat, sequebatur interlocuturia Fac. Lips. de publ. d. 15. Junii 1730. daß Klgr. Suchen sol. 226. noch zur Zeitnicht statt hat und ist I. G. I. die Unkosten dieses Terminis, Klgr. zu erstatten schuldig, und bei Verlust des dem Ratha zustehende beneficij restitutionis in integrum anderweit zur Ablegung des Eydes vorzuladen, intermino denuo praefixo venditabat sibi de re in conscientia subnatum esse scrupulum, quod quidem ipsi impedimento sit, quo minus iuramentum praestare possit, accusata iterum contumacia motus iudicis in sententia de publ. d. 6. nov. 1730. talis dieweil I. G. I. daß er den Eyd nicht ablegen könne sich erkläreret, so ist derselbe weiter nicht zuzulassen, er auch die Unkosten dieses Terminis Klgr. zu erstatten, nummehr aber I. H. solchen Eyd jedoch mir de credulitate abzulegen, oder deutlich, daß er nicht schweren wolle, sich zu erklären schuldig, hic praevia citatione in termino quidem comparebat, sed se totum negotium ignorare asserebat, adeoque nesciendo iurare cupiebat, contradicente auctore et transmissis actis ad Fac. Iur. Lips. M. Decembr. 1730. ex voto obtinebat sententiam huius tenoris. Dieweil I. H. den fol. 253. abgefasseten Eyd abzulegen ebenfalls sich verweiget,

C 2

gerit,

DE IVRAMENTO

gert, so ist nunmehr Rigr: den Erfüllungs-End der-
gestalt, daß er die in der Klage fol. 45. angeführte Appel-
lation bey Besl. übergeben, und daß zu der Zeit, da er
selche übergeben C. W. seine Vorstands-Gelder noch
nicht ausgezahlt gewesen, zuschwören, zu zulassen, adie-
cta condemnatione compensatis expensis.

§. XXIII.

Actus iurandi eti maximi praecudicci adeoque specia-
le mandatum eo casu quando per procuratorem in alte-
rius animam iurari requiriatur, at amē membra illa Vniuer-
sitatis, quae ipsius nomine iuramentum praefstant, nec Syn-
dicus generali mandato instructus, licet ipse insimul pro-
ducatur speciali mandato opus habent, nam propriam
scientiam afferunt, suoque nomine iurant et totam Vniuer-
sitatem tanquam personam mysticam repreäsentant, cuius
rei rationem CARPZ.OV. in proc. Tit. XI. art. 2. n. 60.
in eo quaerit, quod lege Saxonica nullus procurator ad-
mittatur, in quam, si aliter diceremus impingeretur; sed si
dicendum quod res est, horum ministerio et repreäsentata-
tie in animam ceterorum iuratur, et ac si singuli praec-
stissent iuramentum singitur, quod ipse CARPZ. facetur
all. loc. n. 70.

§. XXIV.

Quod si Vniuersitati purgatorium iniunctum et iu-
dex ex officio terminum iuratorium praefigit, post vni-
uersitas tria membra fistit, haec quidem aduersarius admittre-
re non tenerur, sed ipsi integrum alia nominare, frustra ra-
men accusabit contumaciam si haec in termino non ad ipsius
nurum statim compareant, imputet enim sibi quod non tem-
pestive eadem elegerit, quem in modum nuperrime respon-
dit Fac. Iurid. Lips. M. Octobr. praeteriti anni versus W. ad
Præfect. in cauf. M.H. contra die G. zu L.imo si aduersa pars
moras nectat, et de vexandi animo appareat, quin in expen-
fas termini condemnari queat nulli dubitamus.

§. XXV.

§. XXV.

Suppletorium saepius ad finiendam litem ob semiplenne peractam probationem vniuersitati iniungitur, vbi quidem eodem modo in foro incedimus ut in superioribus monitum, illud tamen tanquam speciale notandum, quod illa in medium produci ad istius praestationem nequeant membra quae antea fortasse in ista causa ut testes admisssi, quodsi enim illorum testimonio plena fides adhibenda opus plane non fuisset legali illo et necessario Iuramento Dr. RIVIN,
ad O. P. S. Tit. XII. Ex. 13.

§. XXVI.

Relatum si fuerit iuramentum Vniuersitati deferentia quod facta aliena, non nisi de credulitate praestandum, non enim calculum meretur illa sententia quae etiam pro dolor in nonnullis collegiis inualuit, quod relatum iuramentum indistincte de veritate praestandum sit, licet vel maxime facta aliena et a tertio suscepta contineat, repugnat enim manifeste naturae factorum, qualitas scilicet facti per relationem non mutatur et haec semper conformis esse debet delationis; in humanum sane videtur laqueum conscientis iniicare, et ciues ad impossibilia cogere. vid. uberioris *Dn. Praefid. Disp. de Iurei. in alter. anim. §. XL-XLI.* qui me certiorum reddidit, quod in Incl. Fac. Iurid. nouissimo tempore periculosis illa doctrina reiecta et reformatioria sententiae ante in Scabin. Lipsiens. latae pronunciata fuerit.

§. XXVII.

Calumniae iuramentum Iure Canonico per procuratorem vel Syndicum praestari potest c. 6. et fin. X. de Iurei. Calum. c. 2. de testibus in 6to. Et BONIFACIUS VIII. in c. 3. de Iuram. Calum. in 6. inquit: nullam tibi Iudex iniuriam fecisse censem, qui procuratorem tui aduersarii constitutum ad causam, habentem super hoc speciale mandatum, admisit ad praestandum in ea calumniae iuramentum

DE IVRAMENTO

quod in favorem Clericorum introductum videtur. At Iure Saxonico iidem a tribus quatuorue membris praestandum nec syndicus aut procurator licet vel maxime speciali mandato instructus admittitur, licet enim d. Conf. El. XIII. de iuramentis saltē delatis disponat, tamen ob identitatem rationis, cum Vniuersitas sit nomen iuris non personae, in Vniuersum ad quasuis iuramentorum species applicanda CARPZOV. ad b. C. def. 4. conf. ANTON. del Re Tract. de Iuram. Column. cap. XV. n. 107. seqq. Mirum igitur quare MATH. BERLICH. concl. 31. n. 23. asserit per Syndicum si hoc mandato eius insertum de calunnia iurare posse, alias omissa illa potestate integrum senatum s. collegium ad declinandam calumniam mediante iuramento obligatum esse.

§. XXIX.

In Litem iuratur ex permissione legis in nonnullis casibus, quodsi igitur Vniuersitas laesa, et aduersarius ex praeterito vel praesenti dolo vel lata culpa restituere aut exhibere rem in litem deductam vel non volit vel non possit, quin ad iuramentum istud, ut et ad aestimandas res per violentam abreptionem amissas vel corruptas, mediante iuramento Zenoniano admitti queat, asserere non veremur, nec enim Vniuersitas deterioris conditionis esse potest quam alii laesi, quibus LL. beneficiis ipsis succurrunt. Sed et vice versa contra Vniuersitatem eadem iuramenta sibi locum vindicabunt. Evidem VLPIANVS in L. 15. ff. d. dol. mal. dubitat quod in municipes de dolo dari possit actio, et quaerit quid municipes ex dolo facere possint? nempe municipium, Vniuersitas, nomina sunt iuris anima et intellectu carentia, sed Idem VLPIANVS in L. 9. §. 1. ff. quo mer. cauf. concedit Edictum praetoris quod metus causa, siue sit singularis persona quae metum intulit, vel Populus, vel Curia, vel Collegium, vel Corpus, Idem in L. 4. ff. de vi et de vi-

DOPP
arm.

arm. in municipes interdictum de vi et vi armata reddendum esse ex sententia Pomponii iudicat, si aliquem quis nomine municipii vi deiecerit. Sed res eo reddit: Nempe quoad facta illicita sive delicta nulla est, aut esse debet consociatio, hinc quorundam singulorum factum aliis ex corpore imputari non debet. TITIVS Iur. priuat. Lib. II. §. II. nec vniuersitati nocet scientia nuda facti perpetrati. IOH. BAPTIST. COSTA de fact. Scient. et ign. Cent. I. dist. 55. n. 14. sed requiritur ut se doli culpaevae latae participem fecerit Vniuersitas, tunc enim tota vel potius istius membra tenentur. Ad hoc vero ut Vniuersitas delictum fecisse dicatur, requiritur, quod fuerit solemniter conuocata legitime congregata et quod praecesserit propositio facta et super ea consilium et deliberatio subsecuta omnesque in factum conspirent. FLAVII AMEND. addit. ad Vinc. de FRANCH. decis. II. n. 15. Hinc si quis diceret quod omnes homines oppidi dederint damnum non statim audiendus aduersus totam ciuitatem, nam non sequitur omnes homines oppidi fecerunt, ergo tenetur Vniuersitas, nisi praemisso sono campanae et communicato consilio oppidi illud fecerint, vel fortasse Syndicus in iudicio sareatur factum iussu communis factum, quod vbi non interuenit agi debet solum contra illos particulares non contra Vniuersitatem IO. BAPT. PLOT. Tr. de Iur. in Lit. §. 50. n. 9. pariter vniuersitas monente COSTA d. tr. cent. I. Dist. 49. n. 3. non tenetur de receptione Banniti ex eo rautum quod bannitus biberit in hospitio. Imprimis vniuersitas quatenus ex facto illicito locupletior facta tenetur, nec iniquum lucrum retinere potest. Quanquam vero praesuppositis terminis habilibus vniuersitas ex delicto teneatur, tamen quatenus poenam corporis afflictuam respicit, eos qui ab initio dispensum suum declararunt, idque urgentibus circumstantiis mediante purgatorio asserere valent immunes pronuntiamus, delicta enim

24 DE IVRAMENTO VNIVERSITATIS.

enim debent tenere suos autores et fortasse non inconsultum erit si quis qui infelicem negoti euentum praevident, contradicat et defuper registratoriam judicalem confici curet. Speciale et singulare est, quod Imperii lege et consuetudine a duabus partibus ciuitatis iurandum pro purgatione in criminis fractae pacis publicae vid. GAIL. Lib. 2. d. pac. publ. cap. 2. n. 7. quod ad alias causas non extendendum. MEV. p. 3. Decis. 54. n. 7. §. XXIX.

Peritum rea vix fieri poterit Vniuersitas, bene individua illa quae iuramentum praefliterunt, iuramentum enim tanquam personale non egreditur per sonam iurantis, non tamen aliter quam si iuramentum praeflitum eorundem facta propria respiciat. Nec desunt qui existant Vniuersitatem posse venire contra iuramentum, afferentes Vniuersitatem rem esse sine anima adeoque in eam non posse cadere per iurium iuramentum non praeflari vniuersaliter quia non habent animam, hinc non posse excommunicari, nec venire appellatione personae et vniuersitatem praescribere posse cum mala fide, quia textus Iur. Canonici fundatur ratione peccati recipientis animam possessorum, quod peccatum non possit cadere in vniuersitatem quae non habet animam *Seraphin de Seraphin. de priuile. Iur. priu. 33. n. 27. seq.* cuius sententiam in totam nostram non facimus.

§. XXX.


Coronidis loco adiiciam, quod in uestitura in feudo per nuntium et procuratorem accipi et ab ipso fides in animam vasalli suscipi possit, prout ex II. F. 3. §. I. et II. 58. n. 2. appetat, qui tamen specialissimo ut ita dicam mandato instructus esse debet. LINCK. *de Vasallo vicario n. II.* quodsi igitur vniuersitas vel Collegium tanquam persona moralis in uestitutam accipere debet, facere id potest consentiente domino directo per administratores vel caput collegii, quodsi vero dominus a singulariis iuramentum fidelitatis praefertur si cum homagio coniunctam exigenter, hos omnes spretale uilla ratione dissentientium, qui in rebus moralibus illa quae cum magnis incommodis fiunt pro talibus fere que fieri non possunt, habent, ad actualem praeflationem obligatos, nec dominum ad recipiendum procuratorem obstrictum, pro vasallo vero admisso hunc non solum in propriam sed et in animam principalium iurare debere censeo, quamquam Dd. hac in parte fluuiare, nec vhus in Curiis Feudalibus aequalis esse soleat. Conf. HORN.

Jurisp. Feud. C. XIII. §. XII.

T A N T V M.

Leipzig, Diss., 1731 n-Z
X 241 7837





375v.

1731, 37
13

DISPV TATIO IN AVGVR ALIS
DE
IVRAMENTO
VNIVERSITATIS
QVAM
ILLVSTR. ICTORVM ORDINIS
CONSENSV
PRAE SIDE
DN.D.IO.FLORENTE RIVINO
P. P.
CANON. NVMBVRG. ET FACVLT. IVRID.
LIPS. ASSESS.
PRO
DOCTORIS GRADV
PVBLICE DEFENDET
CHRITSIAN. BENIAM. SCHLEGEL
DRESDENS.
ADVOCAT. IMMATR.

DIE XXV. IAN. AN. MDCCXXXI.

LIPSIAE
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.

